



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die Schrift

Degering, Hermann

Berlin, 1929

134 Venedig, Nicolaus Jenson. Fabius Quintilianus: De institutione rhetorica. 1471. Berlin, Inc. 3655.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68942](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68942)

& citharædi pauca illa quæ ante quæ legitimum certamen icohet: emerædi
 fauoris grâ canunt: proæmum uocauerunt. Oratores quoque ea quæ
 prius quæ causam exordiantur ad conciliandos sibi iudicium animos præ
 loquunt: eadem appellatione signarunt. Siue quod idem
 græci uiam appellant: id quod ante ingressum rei ponitur: sic uocare é
 institutum. Certe proæmum est quod apud iudicem dici prius quæ causam
 cognouerit: possit. Vitioseq; in scholis facimus: quæ exordio sic utimur
 quasi causam iudex iam nouerit: cuius rei licentia ex hoc est: quæ ante de
 clamationem illam uelut imago litis exponit. Sed in foro quoque contigere
 istud principioꝝ genus secundis actionibus potest: primis quidem raro:
 nunquam nisi forte apud eum cui res aliunde iam nota sit dicimus. Causa
 principii nulla alia est quam ut auditorem quo sit nobis in cæteris partibus ac
 commodatior præparemus. Id fieri tribus maxime rebus inter auctores
 plurimos constat: si beniuolum: attentum: docile fecerimus: non quin ista
 per totam actionem non sint custodienda: sed quia in initiis maxime necessa
 ria: per quæ in animu iudicis: ut procedere ultra possimus: admittamur.
 Beniuolentiam autem a personis ducimus: aut a causis accipimus: sed
 personarum non est: ut plerique crediderint: triplex ratio: ex litigatore: &
 aduersario: & iudice. Nam exordium duci nonnunquam etiam ab actore cau
 sa solæ: quæ enim pauciora de se ipso dicit: & parcius plurimum tamé ad
 omnia momenti est in hoc positum: si uir bonus creditur: sic enim continget:
 ut non studium aduocati uideatur afferre: sed pene testis fidem. Quare
 in primis existimetur uenisse ad agendum ductus officio uel cognatio
 nis uel amicitia: maximeque si fieri potest rei. pu. aut alicuius certe non
 mediocris exempli. Quod sine dubio multo magis ipsis litigatoribus
 faciendum est: ut ad agendum magna atque honesta ratione: aut etiam
 necessitate accessisse uideantur. Sed ut præcipua in hoc dicentis aucto
 ritas sit: si omnis in subeundo negotio suspicio sordium: aut odiorum: aut
 ambitionis abfuerit. Ita quædam in iis quoque commendatio tacita: si
 nos infirmos & impares agentium e contra ingenis dixerimus: qualia sunt
 pleraque Messala proemia. Est enim naturalis fauor pro laborantibus:
 & iudex religiosus libentissime patronum audit: quem iustitia sua minime
 timet. Inde illa ueterum circa occultandam eloquentiam simulatio multum
 ab hac nostrorum temporum iactatione diuersa. Vitandum etiam ne contu
 meliosi: maligni: superbi: maledici in quem hominem ordinem ue uideamus:
 præcipue eorum: qui lædi nisi aduersa iudicium uoluntate non possunt. Nam
 in iudicem nequid dicatur non modo palam: sed quod omnino intelligi
 possit: stultum erat monere nisi fieret. Etenim partis aduersæ patronus da
 bit exordio materiam inter se cum honore: si eloquentiam eius ac gratiam nos